

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 3642

**Auteur(s)** : Louis IX, France (roi)

**Bénéficiaire(s)** : Jean l'Abbé, bourgeois de Caen [autre]

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1263, juin

**Lieu d'émission** : Paris

**Action juridique** : autre

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Louis [IX], roi de France, donne à ferme à Jean dit L'Abbé, bourgeois de Caen, 47 acres 3 vergées 32 perches de terre à Digry avec ses dépendances et d'autres revenus moyennant une rente annuelle de 31 livres 18 deniers tournois.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde l (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 690, p. 146.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod nos ad firmam perpetuam concessimus Johanni dicto L' Abe, burgensi Cadomi, et ejus heredibus pro triginta et una libris et octodecim denariis turonensibus nobis annuatim reddendis, videlicet medietate ad scacarium Sancti Michaelis et alia medietate ad scacarium Pasche, in firma de Digreyo, quadraginta septem acras tres virgatas et triginta duas perticas terre, triginta duo quarteria avene ad mensuram loci, XXX tres capones, quinque gallinas, ter centum et decem ova, quoddam conreium, quedam calcaria, unum molendinum cum baneriis, quinque acras bosci et octodecim perticas, duas acras prati et triginta perticas, servitia molendini, servitia clausure bosci et reparationis fossatorum ejusdem bosci, servitia prati, servitia bordariorum, si talia servitia sint ibidem, sexaginta et septemdecim solidos tam in censibus quam regardis, et duos denarios turonenses, et simplicem justiciam eorumdem, salvo tamen jure in omnibus alieno, et retentis nobis spate placito cum pertinentibus ad placitum spate, forefactoris et gardis et releveis feodorum lorice integrorum et partitorum et jure patronatus, si quod nobis competat in firma predicta, et omnibus aliis superius non expressis. Si autem occasione premissorum inter dictum Johannem et homines tenentes de dicto feodo aliquam contingat oriri querelam, volumus quod ad primas assisias seu placita nostra sine dilatione et essonio audiatur, et etiam terminetur ; et si predicta ad firmam tradita alicui in aliquo teneantur, idem Johannes tenetur ad faciendum et reddendum ea que proinde debent fieri sive reddi. De dicta autem firma nobis, ut supradictum est, solvenda, predictus Johannes octo libras annui redditus sitas supra totam terram suam, quam habet apud Fontanetum le Paainel, in contraplegium obligavit nobis una cum predicta firma perpetuo remansuras, si ipsum vel heredes suos a contractu hujusmodi contingeret resilire. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentes litteras fecimus sigilli nostri impressione muniri. Actum Parisius anno Domini M° CC° LX° tercio, mense junio.